



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres


Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Authores, tempus, & occasio exempli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)



CAPVT I.

QUALIBVS POTISSIMVM
REMEDIIS, IN PVBLICIS MAXIMIS-
QVE NECESSITATIBVS, SIT
VTENDVM,

EXEMPLO ITALORVM?



VI dentium dolore, alioque corporis morbo laborant, diligenter solent inquirere, quibus alij simili molestia affecti remedijs sint vsi, & adiuti; vt in malo pari, partibus quoque adhibitis medicinis, ad pristinam redeant sanitatem. Dentium & mentium dolore, alijsque grauibz ac periculosos nos affligi malis, totamque nobiscum Germaniam, ne nesciamus, pulsata monent tympana, & buccinae clangentes indicant; monent arma, quae in officinis cuduntur; vel aliunde empta totis plaustris in urbem hanc nostram inuehuntur; monent milites turmatim transeuntes; monent illi, qui cum frumento, cum iumentis, cum suppellectili sua vndique huc e pagis & oppidis vicinis immigrant, & tamquam ad asylum quoddam confugiunt; ostendunt desertae villae, castella, maralia; narrant noua non tantum colloquijs, sed etiam litteris ad nos perlata: testata sunt tonitrua bellicorum tormentorum, quae de vicino hoste atque nostro exercitu auribus nostris insonuerunt. In his tantis tamque diuturnis malis, nihil ego video aprius vtiliusque afferri in medium posse, quam exempla eiusmodi, in quibus videamus, non modò eadem, similiaue mala alijs accidisse, verum etiam, qua industria, quibus auxilijs, aut artibus sint propulsata. Omnes enim, qui rebus aduersis agitantur, cupiunt ijs liberari: atque idcirco promptissimis studijs, & audissimis auribus audiunt ea, quibus possint liberari.

In hanc rem exemplum affero, certum, testatum, fide dignum, & à pluribus posteritati traditum; praesertim ijs, qui res
A Italas

I.

QVALE GENVS
EXEMPLORVM
HVIC TEMPO-
RI MAXIME
CONVENIAT?

II.

ANTHORAE,

1 Cap. I. Quae opera sint, tempore belli, exemplo Italorum, faciendas

TEMPVS, ET
OCCASIO EX-
EMPLI.
Abraham
Bzou. tom. 13.
Annal. Ecel.
Anno Christ.
1260 n. 15. &
16. Carol. Si-
gon. lib. 191
de regn. Ital.
Idem Anno
1251.

Italas memorauerunt. Mihi duos nominare sufficit, quorum vnus Abrahamus Bzouius Polonus Ordinis Prædicatorum Religiosus, is, qui Annales Ecclesiasticos eminentissimi Cardinalis Baronij est prosecutus; alter autem est Carolus Sigonius historicus præsignis, à fide & stilo vbique laudatus. Res quam narra- bo, contigit Anno Christi 1260. Alexandri Pap. IV. 6. Michaëlis Palæologi Imp. Orient. An. 1. Sed vt ab ovo, quod aiunt, intelligatur, à suis iniitijs est reperenda. *Fridericum ex humanis rebus exemptum interregnum inde XXIII annorum excepit, ait Sigonius, pluribus dissidio principum ad Germania corona culmen euectis; verum nemine in Italia, aut ab Archiepiscopo, aut à Pontifico regijs, aut Augustalibus insignijs exornato. Quocirca regno Imperioq; vacante, ciuitates Italia impunijs inter se arma conferre, partes acerbis inter se inimicitias exercere, populorum insidiari libertati liberijs potuere. Nam vt prauas populorum factiones indigna superiorum Impp. cum pontificibus certamina pepererunt, sic saua tyrannorum imperia exigua sequentium regum opes introduxerunt, quoad Regnum Italia in multos principatus diuisum, prorsus ad nihilum est redactum.*

III.

ITALIAE AF-
FLICTIO VN-
DE?
1. Reg. 17. 4.

Audiuimus, & legimus sæpe in diuinis litteris, quantus fuerit Goliath, quantæ altitudinis, nimirum sex cubitorum & palmi, quantis armis munitus, quanta voce Israëlitas prouocans terruerit. Audiens enim Saul, & omnes Israëlita, sermones Philisthæ huiusmodi, stupebant, & matuebant nimis. Hunc Deus cum vellet ad nihilum redigere, per Dauidem id fecit. Dauid autem lapillo vno deiecit, non membratim deartauit, sed præcidit caput eius dumtaxat. Hoc habuit, & satis habuit, nihil enim amplius eum sua arma ærea, nihil membrorum vires, nihil vastitas corporis potuit iuuare. Quia etiam videntes Philisthæ, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt: Ad eundem modum Deus si quod regnum vult dissipare, caput eius percutit, regem tollit, aut excacat, sicut quondam Pharaonem: Sic enim Scriptum est: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Vt autem in prælijs, acie dissipata, actum est de exercitu; ita in regno, si non est, qui congregat ac regat, populus in partes diuisus, se ipsum perdit collisus inuicem, qui inuicem deberet esse connexionem firmatus. Atque hoc est quod Seruator dixit: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur,*

Matth. 26. 31.
Marc. 14. 27.
Mach. 13. 7.

Euc. 11. 17.

• do